



1753, 8

P. 53. num. 21.

9

GE. LVDOVICVS BOEHMER D.

CONSILIARIVS REGIVS AVLICVS ET ANTECESSOR
ORDINIS IVRIDICI H. T. PRODECANVS

P. 282
VIROVM PRAENOBILISSIMORVM DOCTISSIMORVMQVE

GEORGII GVILIELMI
LINDHEIMERI

BENIAMINI SCHNEIDERI

CASPARIS CONRADI
STAVDINGERI

MOENO - FRANCOFVRTENSIVM

SOLENNIA INAVGVRALIA

INDICIT,


PRAEMISSA OBSERVATIONE

DE

LEGATIS



EX FIDEICOMMISSO PRAESTANDIS



GOTTINGAE

PRELO GEORG. LVDOV. SCHVLTZII, ACAD. A TITIS

1772

GE. LUDOVICVS BOEHMER D.

CORPUS RECTORIS ET ACADEMICI

ORDINIS UNIVERSITATIS

PHILOSOPHICAE DOCTRINAE

GEORGII GAVIILMI

LINDHEIMERI

BENIAMINI SCHNEIDERI

CASPARIS CONRADI

STADINGERI

MOLLI O. FRANGOPARTENSIVM

SOLENNIA INAUGVRATA


MDCCCLXXII

TRAEISSA OBSERVATIONE

DE

LEGATIS


EX FIDICOMMISSO PRAESTANDIS



COTTINGAE

1772 GEORG. LUDOV. SCHWARTZII ACADEM. & RECTORIS

1772





§. I.

De legatis, ex fideicommissis praestandis, quaedam ante aliquot annos commentatus, a) id imprimis tractavi, ad heredemne *fiduciarium*, an ad *fideicommissarium* pertineret legatorum praestatio; expositisque vtriusque S^Ci sententia et rationibus, principio obseruavi, vi S^Ci *Trebelliani*, quod non nisi de *actionibus hereditariis* inter vtrumque heredem pro rata communicandis statuerat, vtrumque heredem, siquidem heres scriptus *partem hereditatis* restituere rogatus est, ad legata exsoluenda pro com-


a 2

pe-

a) in Programmate *de legatis ex fideicommissis praestandis*, quo ad solennia inauguralia consultissimo-

rum Doctorem, LEHNEMANNI et ENGELBRECHTII a. d. 1800. praestatus sum.

4



petenti portione teneri, vel si heres *totam hereditatem* ex iudicio defuncti restituit, solum heredem fideicommissarium. Insuper id discriminis seruatum esse monui, vt, si heres scriptus, *re certa* deducta, quae *quartam* continet, rogatus sit restituere hereditatem, legata nulla praestaret, quod rem istam certam quasi ex legato adquisuisse censeatur, sin heres generatim rogatus sit, deducta quarta, reliquam hereditatem restituere, pro rata quartae ad praestanda legata obligaretur. Quando denique heres in restituenda hereditate *SCti Pegasiani* beneficio utebatur, solus, *salua quarta*, interpositis partis et pro parte stipulationibus, praestabat legata, si quidem is solus locum heredis, fideicommissarius vero legatarii partiarum locum sustinere credebatur. Superest id, in quo et fides liberanda est, vt vtriusque heredis in legatorum praestatione obligationem ex iure *Iustiniano* exponam.

§. II.

Exploso videlicet *SCto Pegasiano*, sublataque iniuriam, quae ex alterutrius senatusconsulti usu obtinebant, diuersitate, a) *SCti Pegasiani* sanctiones Imperator addidit Trebelliano, b) *vt ex hoc SCto fideicommissariae hereditates restituantur, siue habeat heres*

a) Praefat. II. Digest. §. 6. Nou. I. cap. I. §. 6.

b) §. 7. I. de fideicom. heredit.

res ex voluntate testatoris quartam siue plus siue minus siue nihil penitus, et tunc, quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei vel quartam, vel, quod deest, ex imperiali autoritate retinere, vel repetere solutum, quasi ex Trebelliano SCto, pro rata portione actionibus tam in heredem quam in fideicommissarium competentibus.

Noua Iustiniani constitutio cum nullibi reperitur: ex his, quae ex imperialibus legitimae scientiae elementis exposui, et ex ipsius sanctionis rationibus expendendum est, ad heredemne fiduciarium, an ad fideicommissarium, vel ad vtrumque, et pro qua parte, iure nouiori pertineat legatorum ex hereditate fideicommissaria exsoluendorum, praestatio, vbi videlicet de eo nihil a testatore cautum est. Iudicio defuncti standum est, si eorum alterutri et pro qua parte onus legatorum iniunxit: iniungere autem posse, eoque et quartam Trebellianicam onerare, dubium non est; cum et possit quadrantis detractionem prohibere. p)

§. III.

e) Species elegans est in L. fr. D ad SC. Treb. quam illustrat IAC. CUIACIUS in quaest. Papin. lib. XVII. tom. 1. oper. edit. Colombet. p. 461.

d) Nou. I. cap. 2. Auth. Sed cum C. ad L. Falid. PETR. MULLERUS in Diss. de prohibita a testatore Trebell. c. 3.


Legatorum onus non minus ad heredem fideicommissarium pro rata pertinere censemus, quam ad heredem fiduciarium, salva tamen huic quarta Trebellianica. Ad FIDEICOMMISSARIUM legatorum praestatio pro ea parte spectat, pro qua hereditas ipsi ex fideicommissio restituta est, idque indubitati iuris esse, ipsi Impp. agnoscunt in *L. 2. C. ad SC. Trebellian.* Idem iudicium ferendum est de HEREDE FIDUCIARIO, ut pro qua parte heres permanet, pro ea et legata exsoluere teneatur, *salva* ceteroquin, quae ei ex SCto Trebell. a Iustiano locupletato, debetur *hereditatis quarta.* In bonis, ei *ultra quadrantem* relictis, salva manet eius obligatio, quam adeundo contraxit ipso iure: actionibus hereditariis ei et in eum pro hereditatis, *ultra quartam* delatae, portione competentibus inter eum et fideicommissarium heredem scindendis. *Quartam*, vel quod huic deest, cum ex auctoritate Iustiniani retinere possit heres scriptus: huius intuitu *onera legatorum* sustinere non tenetur; teneri enim si poneremus, quadrantem *illibatum* non haberet, quem, ad similitudinem falcidiae, heredi saluum esse, Pegaso auctore, placuit senatui, probatumque est Iustiano, utriusque SCti materiem coniungenti. Accedit, quod

quod quarta Pegasianica *quartam totius hereditatis partem* conficiat: censuit enim senatus, a) *ut ei, qui rogatus esset, hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque L. Falcidia ex legatis retinere conceditur.* Quarta ergo hereditatis pars, fiduciario relinquenda, minui legatarum praestatione nequit. In specie in L. 1. §. 20. D. ad SC. Trebell. proposita, dum inter heredem ratione eius, quod *ultra quartam* habet, et inter fideicommissarium legatorum petitionem scindendam esse Iulianus respondet, eam computationem inquit, secundum quam heres scriptus *integram quartam* habet. In specie quam Celsus in L. 2. *cod. tit.* respondet, qua testator ex *quadringentis*, quae in bonis fuerant, *trecentis* Titio legatis, heredis fidei, ut hereditatem alteri restitueret, commiserat, quadrantem heredis ex tota hereditate delibandum, eiusque rationem sic ineundam esse vult, ut *quarta* hereditatis pars heredi illibata sit ac immunis. Plane PAVLVS, b) *Lex Falcidia*, inquit, *itemque SC. Pegasianum, deducto omni aere alieno, deorumque donis, quartam residuae hereditatis ad heredem voluit pertinere.* Si ergo praeter aes alienum, quo non deducto hereditas non intelligitur, si praeter Deorum dona, detractio non

a) §. 5. Inst. de fideic. heredit.

b) recept. sent. libr. IV. tit. 3

§. 3.



non obnoxia, c) quadrans ex *residua hereditate* heredi debetur: ex quadrante onera legatorum non sustinentur, seu, vt eleganter scribit IANVS A COSTA, d) *ex quadrante legata non delibantur, sed quadrans delibatur ex legato.* Itaque iure Iustiniano, quo vtriusque S^Cti beneficium coniunctum est, id effectum innouatumque censemus, vt cum olim ex S^Cti Trebellianici sententia legatorum onera inter heredem et fideicommissarium pro competente cuiuslibet portione simpliciter diuiderentur, legata iam non nisi ratione eorum, quae *ultra quadrantem* habet heres, ad hunc pertineant, e) saluo semper quadrante.

§. IV.

Eandem, quam vindicauimus, sententiam tuentur viri docti Cuiacius, a) Heraldus, b) Huberus, c) Voet-

c) vid. SCHVLTINGII *iurispr. Antiqua*, p. 392. et ABRAH. WIELINGII *lect. iur. ciu. libr. 2. cap. 29. p. 240.*

d) in *comment. ad Inst. libr. II. tit. 23. §. 7.*

e) succincte rem omnem explicat HAHNIVS *ad Wesenbec. libr. 36. tit. 1. n. 7. in fin. si heres habet quartam siue minus, legatariis solus tenetur fideicommissarius. Si autem plus quarta habeat, tum sciuntur*

legata, et pro eo, quod est plus, tenetur heres fiduciarius.

a) in *comment. ad Cod. tit. ad S^C. Trebell. tom. IV. op. p. 878.* et in *libr. XIII. Resp. Papin. tom. I. op. post. p. 538.*

b) *de rerum iud. auctor. libr. II. c. 2. §. 6. in viti ill. ev. OTTONIS thes. iur. rom. tom. II. p. 1156.*

c) in *Practict. ad Inst. libr. II. tit. 23. §. 8.*

Voctius, a) Vinnius, e) Balduinus, f) Wissenbachius, g)
 Tuldendus, b) Raguellus, i) Perezius, l) van Leeuwen, m) Mat-
 thaei, n) Bachouius, o) Fachinaeus, p) Fusarius, q) Bar-
 ry, r) Peregrinus, s) Knipschild, t) Lauterbachius, v)
 Tabor, x) Brunnemannus; y) quamquam ab ea sen-
 tentia discessum faciant non minus viri doctrina
 florentes, Hottomannus, z) Cbifletius, a) Dauth, b) Do-
 nellus, c) Hilliger, d) Treutlerus, e) existimantes, fi-
 du-

d) in comment. ad Pand. libr. 36. tit. 1. §. 60.

e) in comm. ad Inst. libr. II. tit. 23. §. 7. n. 7.

f) in Iustiano libr. III. qui libellus recusatus est in iur. rom. et Antica tom. I. p. 1166.

g) in comm. ad L. 1. 2. C. ad SC. Trebell. p. 642.

h) in comm. ad Inst. libr. 2. tit. 23. cap. VI. p. 173.

i) in comm. ad Const. et Decif. Justin. ad L. ult. C. ad SC. Trebell. p. 530.

l) ad Cod. tit. ad SC. Treb. n. 5.

m) in censur. for. lib. III. cap. 9. n. 2.

n) de success. cap. 13. §. 24.

o) ad Treutler. Vol. II. diff. XIV. ib. 9. lit. c. d.

p) libr. V. controu. cap. 8.

q) de substit. qu. 667. n. 1.

r) de success. libr. 8. tit. 16. n. 7. p. 387.

s) de fideic. art. IV. et art. 35. n. 1. 9.

t) de fideic. fam. c. 2. n. 226.

v) in Coll. Tb. Pr. libr. 36. tit. 1. §. 29.

x) in add. ad Coll. iur. Arg. tit. ad SC. Treb. ib. 35.

y) in comm. ad L. 1. et 2. C. ad SC. Trebell.

z) in disp. de quarta Pegaf. c. 4. n. 16.

a) de substit. cap. 6. in tom. V. ib. iur. rom. p. 685. vbi sententiam breuiter explicat. In libr. IV. de iure fideic. vbi curator eius causae explicatio expectanda fuisset, in articulo, quo capita SC. Pegasiani in Trebellianum translata explicat, substitit, morte praecedens doctus commentator.

b) de testam. p. 524.

c) in comment. iur. civil. lib. VII. c. 28.

d) in Donello enucleato l. c. tit. 6.

e) Libr. II. diff. XIV. ib. 9.

b

duciarium pro rata portione *quartae* onera legato-
 rum subire, vel quod perinde est, quartae Trebel-
 lianae rationem ex eo, quod *deductis legatis* su-
 perest, ineundam esse. *f*) Ita videlicet sentiunt moti
 tum eo argumento, quod et *creditorum onera* inter
 heredem et fideicommissarium pro dodrante et qua-
 drante diuidantur, tum auctoritate constitutionis *Phi-*
lippi patris et filii Imp. in L. 2. C. ad SC. Treb. Ad eum,
cui ex Trebelliano SC. pars hereditatis restituitur, suc-
cessionis onera seu legatorum praestationem pro competen-
ti portione spectare indubitati iuris est. Prius argu-
 mentum fallit ob discrimen, quod inter *aeris alieni*
 et *legatorum* onera intercedit. Cum hereditas non
 nisi deducto aere alieno intelligatur, quartae Tre-
 bellianae ratio quoque non nisi ex eo, quod de-
 ducto aere alieno superest, ponenda est, eamque
 ideo per aes alienum defuncti minui oportet. *Le-*
gatorum a defuncto relictorum alia est ratio. Nam-
 que illa ad hereditatem eius pertinent, ex eaque
 praestantur, tamquam quaedam hereditatis delibato.
 Senatusconsulti vero hoc beneficium est, vt
 totius hereditatis pars quarta heredi salua esse de-
 beat. *g*) Nec magis aduersae sententiae fauet ex-
 ci-

f) Ita rationes inuenit Icti Ha-
 tenles in resp. inter Decif. et Cor-
 filit. B. Parens tom. II. resp. 825.

n. 10. seq.

g) Eleganter HERALDVS l. c. §. 6.
Aer alienum, inquit, *onus est hereditatis.*

citata *Philipporum Impp.* constitutio. Non satis quidem facere videntur, quae interpretationis adnucula adferunt BACHOVIVS, h) et TVLDENVVS, i) ponentes speciem talem, qua *maiolem* quadrante portionem remanere apud heredem testator voluit: tunc enim ratione eius, quod *quadrantem excedit*, partiri inter heredem et fideicommissarium existimant onus legatorum. Omnis enim dubitatio non evertitur in interpretatione, quae hypothese innitur. Rectius dicendum est, legis sententiam ex iure *anticiustiniano*, quod manifesto tractat, esse explicandam. l) Si hereditatis pars ex fideicommissio restituenda est, hoc vel solo beneficio heredi subuenit SC. Trebellianum, vt eum inter et fideicommissarium pro competenti portione scindantur hereditariae actiones: idque ex vetusti S*C*i mente statuit Philipporum Imp*p.* sanctio. Vtrum pro quadrante legatorum onus heres ferret, eo minus

b 2 iu-

tatis, minuit hereditatem, minuit bona. Legata quoque hereditatem minuit; sed placuit sonatui, quartam retineri ab herede instituto, et restitutione grauato sine onere legatorum.

h) ad Treutlerum l. c.
 i) in comm. ad Inst. l. c.
 l) Ant. Faber de errorib. pragm. Part. I. dec. XI. err. X. p. 293. Verba ipsa legis, inquit, demonstrant.

tractari eo loco de fideicommissario, cui ex Trebelliano S*C*to restituta sit pars hereditatis. Addit deinde: Sane lex illa omnino interpretanda est de eo iure, quod tunc obtinebat, cunq*ue* loquatur de fideicommissario Trebelliano, non potest ad eum casum adaptari, quo quadrans contra testatoris mentem deductus, ex S*C*to videlicet Pegasiano.



iure vetusto dubitabatur, cum de quadrantis deductione nihil fanciret SC. Trebellianum; et ferebat utique pro ea, quae penes heredem permanserat, hereditatis parte, et pro quadrante, quem continet. Nec mouet, Philippicam istam constitutionem Codici insertam esse: id enim subinde contigisse nouimus in variis iuribus a Iustiniano immutatis. Cum vero ad *ius antiquum* accommodata sit: iam ad *iuris Iustiniani* rationes sic attemperanda est, ut heres vi beneficii, quadrantem deducendi, non nisi pro eo, quod quadrantem *excedit*, ad legatorum onera subeunda obligetur.

§. V.

Ex iisdem principiis iudicandum est de fideicommissis, quae, ut fere fieri solet, sub *conditione* vel *in diem* relinquuntur, qualia *fructuaria* appellantur LVDEWIGIO. a) Neque in his heres scriptus *onus legatorum* ratione *quartae Trebellianicae* subire tenetur, a quo generatim immunis est *quadrans*. Si quae ergo legata heres, quod potest et debet, b) ante conditionem diemue, quo hereditas restituenda est, exsoluit, ea omnia fideicommissario imputat in hereditate restituenda. c) Ipsi imputationis

a) in *diff. de Trebellianica exule in fideic. fructuariis cap. III. §. 4.*

b) *L. 16. §. 3. D. ad SC. Trebell.*

c) Dum de fideicommissis in diem, et ubi heres post mortem suam hereditatem restituere rogatus est

nis modum perpendere non inutile est, cum vel ideo non nihil difficultatis habere videatur, quod in fidei commissis sub conditione vel in diem relictis, *fructuum* ratio habeatur in detrahenda quarta, ita ut fructus ex *reliqua* hereditate, praeter Trebellianicam, provenientes, et *post aditionem* medio tempore percepti, in Trebellianicam imputentur: d) ipsius enim quartae fructus non numerari constat. e) Itaque *principio* ipsius quartae quantitas ex statu bonorum, qualis aere alieno funerisque expensis deductis, tempore aditae hereditatis fuit, f) definienda. *Tum* fructus ex dodrante, hoc est ex tribus reliquis quar-

b 3
 est, loquitur BRUNNEMANNVS in comment. ad L. 1. et 2. C. ad SC. Trebell. in his, inquit, *committitur receptum est, ut heres ante diem a legatariis conuentus integra legata praestare teneatur, et postea impleta conditione, si nihil praeter quartam habeat, legata omnia imputet fideicommissario.* conf. HVBERSVS in praes. ad Pand. libr. XXXVI. tit. I. §. 16.

d) L. 18. §. 1. L. 22. §. 2. L. 58. §. 2. D. ad SC. Trebell. L. 15. §. 6. ad L. Falcid. conf. IO. BALTHAS. WERNHERVS de fructibus in Trebell. imput. §. 14. Quod adeo verum est, ut heres, qui per decennium hereditatem possedit, quartam abunde ex fructibus habuisse praesumatur. Ita Vipianus in L. 8. §. 11. D. de inoff.

testam. Fructus solere in Falcidiam (h. e. Trebellianicam) imputari, non est insignitum. Ergo cisi ab initio ex semisse heres institutus rogetur post decennium restituere hereditatem, nihil habet, quod queratur: quoniam facile potest debitam portionem eiusque fructus medio tempore cogere.

e) L. 22. §. 2. et L. 27. §. 16. ad SC. Trebell. L. 15. §. 6. ad L. Falcid. Cit. l. 8. §. 11. STRUVIUS exerc. 36. th. 31. CARPZOV. dec. 21. n. 29. HARPRECHT de iure deducendi duas quartas th. 86. WERNHER in cit. diff. §. 15.

f) Fructus ante aditam hereditatem percepti, ipsam hereditatem, ac proinde quartam Trebellianicam, augent. L. 27. §. 1. ad SC. Trebell.

tis, g) vel etiam ex eo, quod praestitis solutisque legatis ex dodrante superfuit, medio tempore percepti, numerentur, in quartam imputentur, et si quid *postea* facta *fructuum* imputatione *quartae* desit, hoc ex ipsis bonis hereditariis a defuncto relictis suppletur. Sic demum rite inita quadrantis ratione, reliquam hereditatem fideicommissario sic restituit heres, vt, quae *legatorum nomine* soluit, deducat.

§. VI.

Quandoquidem hereditatis fideicommissariae, post diuturnum tempus restitutae fructus, Trebellianicae quantitatem subinde longe superant: non praeter rem quaeritur, vtrum heres pro rata portione *perceptorum fructuum*, quoad *quadrantem* excedunt, legatorum onus subire teneatur? Hoc enim vel ideo dubium videri poterat, quod heres alioquin pro eo, quod *ultra quadrantem* ex hereditate accipit, pro rata teneatur. Sed verius est non teneri heredem. Namque hereditatis fideicommissariae fructus, post eius aditionem medio tempore percepti, non sunt hereditarii, seu ad hereditatem non pertinent, sed ad *patrimonium heredis*, ipsa aditione hereditatem acquirentis, sub lege restitutionis. *Apri-*

g) Perinde est, si et sic ponatur *facit et quartae fructus L. 22. §. 2. cit. tit.* Sic enim totius hereditatis fructus in quartam eiusque fructus imputantur. *utrum eius fuerit, quantum quartam*

prime eam in rem VLPPIANVS a) *fructus*, inquit, non hereditati, sed ipsis rebus accepto feruntur, seu vt CVIACIVS b) explicat, *fructus percepti post aditionem non sunt hereditarii. Non sunt in hereditate, quia aditione desinit esse hereditas.* Cum vero onera hereditaria pro ea tantum hereditatis parte, quae heredi ultra quadrantem iure hereditario obuenit, inter eum et fideicommissarium scindantur: c) consequens est, heredem intuitu eorum, quae ex solis fructibus hereditatis fideicommissariae ultra quadrantem lucratus est, ad onus legatorum pro rata suscipiendum non obligari. d)

§. VII.

Sivero, quod haectenus expositum est, legatorum onus ad fideicommissarium pertinet, vel prorata ad heredem, si quid ex hereditate ultra quadrantem consecutus est: dubitari sane vix potest, quin eadem

a) in L. 18. §. 2. ff. ad SC. Trebell. Quamquam fructus hereditatis, medio tempore percepti, ex iudicio testantis percepti videantur; L. 22. §. 2. eod. hereditatis partem tamen non minus efficiunt, quam in restitutionem veniunt. L. 27. §. 1. L. 57. pr. L. 58. §. 8. L. 63. §. 4. eod.

b) in recitat. ad tit. D. ad SC. Treb. tom. III. op. p. 1649. Conf. ANT. DAD. ALTESERKA in recitat. quod. iid. tom. II. p. 457. PEREZIVS ad

tit. C. de sur. et fruct. legat. n. 3.

c) Multum interesse, inquit MARCIANVS, utrum qua pars iure hereditario retineatur, an vero in re et pecunia. Nam superiori casu actiones diuidantur inter heredem et fideicommissarium; posteriori vero apud fideicommissarium sunt actiones. L. 30. §. 3. D. eod.

d) PEREZIVS ad tit. ad SC. Trebell. n. 16. et MÜLLERVS ad Strouium exerc. 36. th. 34. lit. (d.)

dem et in legato annuo obtineant; cum ad speciem
 pertineant, quae de genere praecipuntur, quoad
 vsque exceptio non euincitur. Heres ergo, here-
 ditatem sub conditione vel in diem restituere ro-
 gatus, legatorum annuorum onus neque ex qua-
 drante neque ex fructibus rerum hereditariarum susti-
 nere tenetur. Non ex quadrante: nam et Falcidiam
 ab annuis legatis recte detrahi respondit PAPINIA-
 NVS, a) et probatum est AEMILIO MARCO; dicendum
 ergo nec quartam Trebellianicam, quae illius na-
 turam imitatur, minui per annua legata, nec haec
 ex quarta delibari, sed ista ferre fideicommissarium,
 quoad fert reliquorum legatorum onera. Nec ex
 fructibus rerum hereditariarum: namque hi post he-
 reditatis aditionem non sunt in hereditate, sed he-
 redis lucro cedunt, vt §. ant. expositum est. Itaque
 heres, quidquid pro annuis legatis expendit, here-
 ditate restituta eodem iure deducit, quo cetera ex-
 soluta legata fideicommissario imputat: quoad vs-
 que testator aliud non disposuit. Timide ita senti-
 rem, si vel interpretum auctoritate ducerer, quo-
 rum opinio est, c) ad heredem, fideicommissio in
 diem

a) L. 15. §. 2. D. ad L. Aquil. ad
 quam legem conferri meretur IAC.
 CVLIACVS libr. XIII. Resp. Papin.
 op. posthum. tom. I. p. 535.

b) L. 63. D. ad L. Aquil.

c) conf. FVSARIVS de substitut.
 qu. 667. n. 5. et seqq. PEREGRINVS
 de fideicommiss. art. 4. n. 25. et art.
 35. n. 9. BARRY de success. libr. 8. tit.
 16. n. 8. SVRDVS decis. 28. n. 2.

diem vel conditionali grauatum, ex fructibus medio tempore perceptis, legata annua expendere debere, neque hereditate restituta deducere posse, quidquid eorum nomine expendit, vel si lectoris fauorem pari ratione mihi negatum existimarem, QUOFVSARIVS l. c. clienti, contra sentienti et contententi, patrocinium negandum esse censuit. Saluam causam esse arbitror, nec rem conficere L. 21. §. 1. D. de annuis legat. et L. 26. §. 2. D. quando dies legat. ex quibus pro aduersa sententia argumenta petuntur. Prior lex de legato *reditu* fundi agit, liberto ea fide relicto, vt ex eo annua dena, alimentorum iure, Pamphilae praestaret legatarius. Quo legato per Falcidiae detractionem diminuto, fideicommissum alimentorum annuorum non minui respondet Ictus, d) non quod legatum annuum onus reale *redituum* sit, quae ratio in ore esse solet dissentientibus, sed quod legatum, sub *onere alimentorum* relicto, agnitum sit a legatario, et *reditus* fundi, non obstante quartae deductione, abunde sufficerent, alimentis annuis praestandis; vt praeteream, legatarium minuere legata vel fideicommissa, a se relicta, non posse Falcidiae detractione. Posterior lex pariter tractat speciem, qua fructus bonorum legatus est sub onere annuorum exinde praestando-

rum:

d) Huius legis sententiam doctores tit. de annuis leg. tom. III. op. p. explicat CUIACIUS in recit. ad Pand. 1456.



rum: tum enim legatarius annua ex fructibus praebere vel ideo obligatur, quod id testator ordinaverit. Quae vero a legato annuo, quod vi dispositionis ex fructibus praestandum est, conficitur confectio, heredem fiduciarium, etiam si testator nihil disposuerit, annua ex fructibus praestare oportere. Nec maius sententiae aduersae praesidium ex constitutione IUSTINIANI accedit, qua pater, ad cuius usufructum pertinet hereditas, filiofamilias relicta, annalia legata ex fructibus dependere compellitur. Sic videlicet sancit Imperator: *Si legata vel fideicommissa, siue annalia siue semel relicta, imminent huiusmodi personis; siquidem tales redditus sunt, qui sufficient ad annalia legata, pater ex huiusmodi redditibus hoc dependere compelletur.* Ex quibus verbis id principio apparet, legata siue semel praestanda siue in annos singulos, ex redditibus bonorum aduentitiorum a patre esse exsoluenda. f) Id porro non heredi fiduciario, de quo iam quaeritur, sed patri iniungitur, tamquam usufructuario hereditatis aduentitiae filiorumfamilias. Deinde cum integra constitutio Iustiniana praecipua patris in usufructu bonorum aduentitiorum iura pariter atque singulares eiusdem in tuendis seruandisque bonis liberorum

e) in L. ult. §. 4. C. de bonis quae liber. pag. 725. et in disp. ad Pand. XII. ib. 6. ad omnis generis legata, nec

f) Recte obseruauit WISSENBA- abesse ad annua, pertinere et. eius in comment. ad cit. L. ult. Iustiniani constitutionem.

aduentitiis obligationes recenset: tum et hoc, quod ex singulari liberorum commodo et favore constitutum est, patris officium definit, vt legata et fideicommissa a liberis relicta ex hereditatis aduentitiae, quoad sufficiunt, *reditibus*, vel si non sufficiant, ex rerum *mobilium*, vel denique ex rerum *immobilium*, earumque, quae minimo vsui liberis esse possint, pretio exsoluat. g) Ex quibus, quae in patre usufructuario speciatim cauta sunt, idoneum argumentum nec ad alios *bonorum omnium* usufructuarios, h) multoque minus ad heredem *fiduciarium* ducitur, i) qui ne pro fructuario quidem habendus, sed dominus est bonorum hereditariorum, cum hereditatis, sub lege restitutionis delatae, aditione totam hereditatem acquirat, eiusque fructus iure domini eo vsque percipiat, l) donec ex lege fideicommissi est restituenda.

Progredior ad id, quod officium scriptionisque rationes exigunt ad indicandos videlicet honores dignif-

C 2

g) cit. *L. ult. §. 4. in fin.* deductis, quorum praestatio ad heredem pertinet, reliquum est, in partem accurate extendunt usufructu permanere. vid. tit. D. de usufr. §. 7. in fin. ZOESII *in iure priuat. libr. 3. cap. 12. §. 14.* ad D. eod. n. ult. COVARRVIVAS libr. 2. cap. 1. §. 1. BACHOVIVS *ad Wesenbec. tit. de v. H. variar. resol. c. 2. n. 7.* GARSIAS *in syst. leg. §. 1. n. 1.* i) Hoc argumento tamen vti placuit VOETIO *ad tit. D. ad SC. Treb. §. 50.* De legato usufructu vniuersorum bonorum rectius sic statuendum, id tantum, quod aere alieno legatisque



simorum iuris Candidatorum, quos eo ordine, quo
Cathedram conscensuri sunt, recensere par erit.

Primus


VIR PRAENOBILISSIMVS
CASPAR CONRAD STAUDINGER

MOENO - FRANCOFVRTENSIS,

vitae omnemque studiorum suorum rationem ipse
suis verbis sic exponit.

Lucem vidi Francofurti ad Moenum A. O. R. MDCCXXXI. sexto
mensis Augusti. Natus sum patre HENRICO THEOPHILO STAUDIN-
GER, cognoscendis militiae et armamentarii rationibus Praefecto; matre
vero ANNA MARIA, Henrici Mann, civis Moeno-Francofurtensis et mer-
catoris filia; Quos vero exoptatissimos parentes, matrem scilicet matura
morte orbatam, patrem vero octo fere abhinc annis fato ereptum, lugeo.
Exoptatissimus parens a prima aetate religionis principiis me imbuendum
sedulo curavit; Postea suasu beati Klumpffii, Gymnasii patrii Rectoris,
et ex nouerca aui exoptatissimi, in Gymnasio patrio per undecim fere
annos studii operam dedi, ac Viros eruditione magnos, praecipuos
nactus sum. Exhinc anno MDCCXLIX. in hancce Georgiam Augustam
me contuli, in qua Magnificus, eo tempore, Kahlius, nunc Marburgi
Cattorum docens, me albo civium academicorum inseruit. Hic per
quadriennium commoratus, praeelectionibus Consultissimorum atque ce-
leberrimorum Virorum frui, mihi licebat. Praeceptores veneror cel.
HOLLMANNVM in metaphysicis, cel. KOELERVM, et ACHENWALLVM in hi-
storia, quae dicitur vniuersalis, ill. GEBAVERVM in Institutionibus et in
Iure Feudali, ill. WAHLVM nec non ill. AYRERVM in praeelectionibus Stru-
vianis, ill. BOEHMERVM in Institutionibus, in Iure Digestorum, vt et in
Iure Canonico; ill. SCHMAVSSVM in historia literaria Iuris publici; cel.
RÜTTERVM, cuius singularem erga me benevolentiam atque integritatem
per totum vitae spatium grato animo recolam; in historia S. R. I. in Iure
publico, in notitia Statuum Germaniae, in arte disputatoria, in Iure ger-
manico, et in *der Anleitung zur Juristischen Praxi*; cel. MEISTERVM in
Iure criminali, et in processu civili; et cel. ACHENWALLVM in Iure Na-
turali, vt et in notitia Statuum Europae.

Quibus ita peractis tandem ab inelyta Facultate Iuridica Licentiam
Iur-



summos in vitroque iure honores capeſſendi ea qua par eſt obſervantia
decenter petii.

Quam ſtudiorum aſſiduitate et ingenii dotibus ſibi
conciliauit proſectuum opinionem, cum laude tui-
tus eſt in ſolenni quod ſubiit examine, votique
compoſ factus, quo licentiam capeſſendi ſummos
in iure honores petiit, cathedram futuro die III. Oſt.
conſcendet, in qua praemiſſa ad *L. 2. C. quae ſit
longa conſuet.* lectione curſoria, diſſertationem inau-
guralem de conſuetudine contradicſto iudicio firma-
ta ad *L. 34. D. de legib.* ſine Praefide defendet.


Alter eſt

VIR PRAENOBILISSIMVS
GEORGIVS GVILIELMVS LINDHEIMER

MOENO-FRANCOFVRTENSIS,

res ſuas ſtudiorumque curſum ſic enarrans:

Natus ſum Francofurti ad Moenum die 4. Aprilis a. 1730. Patre vſus
ſum IOHANNE IVSTO LINDHEIMERO negotiatore, matre MARGARE-
THA ELISABETHA, beati Iohannis Guilielmi Ritzii negotiatoris filia, quam
vero praematura morte anno aetatis ſuae XXXVI. mihi creptam lugeo.
Pater cariffimus nihil antiquius duxit, quam vt in iis artibus inſtruerer,
quibus puerilis aetas ad majora praeparari ſolet. Hinc primo in princi-
piis chriſtianae religionis, deinde in literis humanioribus me inſtitui cu-
rauit. Quare non ſolum priuatam inſtructionem et informationem fide-
liſſimorum virorum aactus ſum, ſed etiam Gymnaſium, quod in patria
floreſcit, quodque Doctiſſimis Praeceptoribus abundat, per aliquot annos
frequentaui. Ad altiora ſic praeparatus, anno 1749. menſe Aprili in hanc
celeberrimam Muſarum ſedem me contuli, et a Viro Excell. SEGNERO,
qui tunc faſces Academiae tenebat, in numerum cinjum academicorum
receptus ſum. In hac academia Doctores habui Viros celeberrimos; in
Philoſophia Excell. BECKMANNIVM et Doctiſſimum WALTHERVM, in iu-
re naturae Excell. ACHENWALLVM, in hiſtoria iuris, Inſtitutionibus et
Diſſertis Excell. SELPIVM et Illuſt. Dom. Praefidem, Poſtea Marpurgum,



petii, ibique anno 1750. mense octobri Prorectore Magnifico Duyfingio albo civium academicorum adscriptus sum. Praeceptores hic veneros Illust. ESTOREM in Digestis, iure Canonico, Germanico et Feudali, Illust. HOMBERCKIVM zu *Vach* in collegio Pandectarum, et Doctissimum GERGERVM in historicis. Cum deinde fluctuarem, an Marpurgi cursum academicum absoluerem, an vero Gottingam redirem, consensu patris mei optimi posterius elegi, quia hic studia mea optime me prosecuturum persuasum habui. Rediit ergo in Almam Georgiam Augustam anno 1751. die 18. Aprilis, et iterum Illust. Dom. PRAESIDIS praelectionibus in iurisprudentia civili romana, et in doctrina iuris Canonici interfui. Struvii iurisprudentiam romano-germanicam forensi mihi tradidit Ill. AYRERVS. Ius publicum mihi explanavit Illust. SCHMAVSSIVS, et denique in iure Criminali, ut et in modo procedendi hodierno mihi princeps fuit Excell. MEISTERVS. Hisce doctrinis imbutus ab inclyto Ictorum ordine expetii, vt praevio examine legitimo, summos in utroque iure honores mihi conferret. Tot literarum praesidiis instructus, praeclaros in iurisprudentia profectus ordinis nostri iudicio in examine solenni subiecit, exhibitisque reliquis candidatorum speciminibus, expectationi nostrae ita respondit, et quos condigne cupiuit, ei ex merito decreti sint summi in iure honores. Reliqua futuro die XVIII. Oct. praestabit, lectionem cursoriam ad *L. 5. C. de peric. et com. re vend.* et dissertationem inauguralem *de iure mercedis opificum in concursu creditorum*, me praeside, habiturus.

Tertius est

VIR PRAENOBILISSIMVS
BENIAMIN SCHNEIDER

MOENO-FRANCOFVRTENSIS,


quem de vita studiisque laudatissime institutis ipsum differentem audire iuuabit.

Natus sum Francofurti ad Moenum d. XXII. Febr. A. O. R. MDCCXXXI. patre, viro Illustri, ESAIA PHILIPPO SCHNEIDERO. Icto et Reipublicae Francofurtanae, Scabino, matre vero REBECCA, B.

Gm

Guilielmi Lehnmanni, mercatoris cuiusdam filia, quam autem, proh dolor! ante biennium et quod excurrit, mors iamiam occupavit. Ab incunabilis statim optimi hi parentes nil aliud innisi sunt, quam ut talem me formarent virum, qui Deo et Reipublicae suo tempore inferuire valeret. Quare non vllis quoque neque operis, neque sumptibus pepercerunt, quo magis hunc scopum obtinerent. Primo igitur primis christianaec, quam profitemur, religionis principiis me imbui curarunt, ac deinde, adhibitis quoque privatis institutionibus, fidelissimis nec non doctissimis Gymnasii patrii Doctoribus me tradiderunt, quorum fidem et industriam ad extremum vitae halitum nunquam non grata mente recolam. Hisce studiis sufficienter imbutus, anno MDCCXXXIX. d. XI. Aprilis Goettingam, celeberrimam Musarum sedem petii, et a IOANNO ANDR. SEGNERO, Professore tunc temporis Magnifico in numerum civium academicorum receptus sum. Summos in Iurisprudentia pariter ac omnibus reliquis scientiis hic inveni viros. Primo autem loco nominandus mihi venit Perillustri GEBAVERVS, quem Institutiones ad ipsum textum explanantem audiuisse, haut sine ingenti animi voluptate recorder. Non minus autem Praeceptores veneror celeberr. WALTHERVM in Logica, celeberr. HOLLMANNVM in physica experimentalis, ut et celeberr. ACHENWALLVM in Iure naturae, nec non notitia Rerumpublicarum Europae. Illustri etiam BOEHMERVS, amplissimi Ictorum ordinis h. t. Prodecanus maxime spectabilis, Institutiones aequae ac Pandectas quam solidissime mihi tradidit. Anno et dimidio exacto, mutato cursu Marpurgum me contuli, ibique Digestorum, Iuris canonici, Germanici et feudalis scientiam in scholis Magnifici huius academiae Procancellarii ESTORIS mihi comparavi, qui tanta cum humanitate et assiduitate docentis munere fungitur, ut eius institutione me usum fuisse, impense mihi gratuler. Nec silentio praetereundus est Illustrissimus HOMBERGIVS *zu Vach*, cuius doctissimis praelectionibus in Struuii Iurisprudentiam, rom. germanicam forensis, ut et Digesta interesse mihi licuit. Scholas denique Excellentissimi GEIGERI, S. R. I. historiam exponentis, summa cum utilitate et voluptate frequentavi. Triennio itaque in academiis peracto, cum iam in eo esset, ut finis studii meis imponeretur, suavis Dilectissimi mei Patris in hanc Georgiam Augustam redii, ibique Illustris SCMAVSSIVM in Iure Publico, Consultissimam BECMANNVM, ex fratribus iuniorum, in Iure criminali, ut et Excellentissimum MEISTERVM in collegio examinatorio ad B. BOEHMERI compendium Digestorum nactus sum Praeceptores fidelissimos. Quibus omnibus feliciter pertractatis, amplissimum Ictorum ordinem, ut post confectum examen, publicaeque defensionem summos in vtroque iure honores mihi conferret, ea, qua decet adire rogare, que observantis, nullus dubitavi.

Non



Non defuit dignissimo Candidato honorificum ordinis nostri de potiundis in iure honoribus iudicium, cum in examine, quod cum magna laude sustinuit, spei nostrae egregie satisfecerit. Patet ei ad reliqua aditus, et die quidem Nov. ad cathedram, in qua post institutam lectionem cursoriam ad *L. 3. C. de pact. pignor.* dissertationem inauguralem *de validitate reservationis tam domini, quam hypothecae extraiudicialis in bonis maxime immobilibus venditis, vulgo Rest-Kauff-Schillinge, in ciuitate Imperiali Francofurtensi vsitatae*, sub praesidio illustris WAHLII defendet.

Quod vero felix faustumque esse iubeat supremum numen, his dignissimis Candidatis, et quidem LINDHEIMERO et SCHNEIDERO honores in Iure summos, et STAUDINGERO Licentiam eisdem, quandocumque libuerit, obtinendi ex vniuersi Ordinis nostri decreto, praescitu et assensu Splendidissimi academiae CANCELLARII conferam. Ut vero istos actus solennes MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTORVM SENATV, ILLVSTRISSIMI COMITES, ILLVSTRES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE ACADEMIAE CIVES, HOSPITES ET COMMILITONES sua praesentia et beneuolentia condecorare haud dedignentur, summopere obseruanterque rogo atque obtestor. P. P. in academia Georgia Augusta Calendis Octobr. c1c1cccliii.



Göttingen, Diss., 1753 A-C

ULB Halle

005 350 859


3



VD 78







B.I.G.

Farbkarte #13

1753, 8
9
P. 285

GE. LVDOVICVS BOEHMER D.

CONSILIARIVS REGIVS AVLICVS ET ANTECESSOR
ORDINIS IVRIDICI H. T. PRODECANVS

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM DOCTISSIMORVMQVE

GEORGII GVILIELMI
LINDHEIMERI

BENIAMINI SCHNEIDERI

CASPARIS CONRADI
STAVDINGERI

MOENO - FRANCOFVRTENSIVM

SOLENNIA INAVGVRALIA

INDICIT,


PRAEMISSA OBSERVATIONE

DE

LEGATIS



EX FIDEICOMMISSO PRAESTANDIS



GOTTINGAE

PRELO GEORG. LVDOV. SCHVLTZII, ACAD. A TTTIS.